

DISSERTATIO APOLOGETICA
DE
CONTRADI-
CTORIIS,
NUM PROPRIE LOQUENDO
CREDI POSSINT?

CONTRA
VIRUM CLARISSIMUM,
J. ALPHONSUM TURRETTINUM,
THEOLOGUM GENEVENSEM,

QUAM

P R Æ S I D E

CHRISTOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,
S. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.

TUBINGÆ D. VI. APR. A. MDCCXVIII.

DEFENDIT

M. JO. DAVID RICKIRS,
KIRCHO-TECCENSIS.

EDITIO SECUNDA, AUCTION. a. LXXXVIII. 43.

37 424

Coll. diss. A
38, 43

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.



§. I.

QUæ in *solutione Questionis**, *utrum àσύσατα seu contradictoria propriè loquendo credi possint?* monenda esse censuit Vir celeberrimus, JO. ALPHONSUS TURRETTINUS, tam egregia maximam partem nec acutè minus quàm clarè posita sunt, ut contra lucem pugnaremus, si refellere eadem aut in falsitatis adducere suspicionem conaremur. Etenim quod præcipuè demonstrandum sibi sumsit, *contradictoria verè talia vera esse non posse*, demonstratione nullâ, multò minus tam operosâ eget, cum per se clarum id sit & à nemine in dubium vocari possit, nisi sanam is mentem ejuraverit inque delirantium classem velit referri. **

A 2

§. II.

* Prodiit Genevæ A. 1716. recusa postmodùm in *Gundlingianis*, dem 14. Stück, p. 340. sqq. Cæterùm poteramus hâc responsione omninò supersedere, nisi ex silentio nostro judicâssent Viri doctissimi, rem planè ita se habere, uti Vir Cl. affirmaverat, quòd *contradictoria verè talia credi posse asseruerimus*; quò & adductus ferè fuit celeberr. Clericus in *Biblioth. ancienne & moderne* T. 7. P. 2. Art. 6. Sed hanc quidem mentem nobis nunquam fuisse luculenter hîc ostendimus.

** Hinc nec Judæos moramur, quos ita delirantes falsè rident Buxtorfius in *Synag. Jud.* C. 3. pag. 73. & Eisenmengerus in *entdeckten Judenthum* P. 1. p. 315. 316. 331. nec Cartesianos quosdam, qui ne transubstantiationem negare viderentur, *essentias rerum mutari posse* statuerunt.

§. II.

Quum itaque ait Vir doctissimus, nos grave nobis onus imponere, dum ἀσυσάτων sive contradictoriorum defensionem adgrediamur*, mentem nostram haudquaquam assequitur eaque nobis tribuit, quæ & à nobis & à sanâ ratione alienissima esse arbitramur. Neque enim cum Viri Cl. Th. XXXI. ex cogitat. de controvers. sensu communi &c petitam in dissertatione de consecratione veterum Eucharisticâ pag. 468. 469. refutaremus, quicquam diximus, quod ad defensionem contradictoriorum trahi possit, sed id saltem affirmavimus, præsentiam corporis Christi in Eucharistiâ ex eo capite negandam haud esse, quia sit incomprehensibilis, vel quæ mea erant verba, quod *mysterium hoc comprehendere non possimus*. Aliud verò esse incomprehensibile, aliud contradictorium, ipse V. C. in solutione quæstionis Th. XXXII. observavit.

§. III.

Nec regeri hîc potest, hâc ratione nos *statum quæstionis mutavisse*.** Thesis enim Viri Cl. quam adgressi eramus, de contradictoriis non agit, sed de iis, *ubi junguntur voces, non idea*.*** Quæ defi-

runt, rectè eapropter à Viris doctissimis reprehensi, & præcipuè à Jo. Clerico Ontol. C. 4. §. 5. sqq. cum quo eadem monet Clariss. TURRETTINUS in solut. §. 7. De Cartesio tamen ipso id addendum, quod & sanius aliquando judicet, uti ex Medit. V. apparet, ubi clarissimis verbis effert, *essentias rerum esse immutabiles & æternas*, et si T. I. epist. 115. in alia omnia abeat. Cæterum conferendus hîc omninò est, qui subtilissimè hoc argumentum evolvit, Cl. Poiretus in Cogitat. ration. L. 3. C. 10. §. 15. sqq. C. 13. §. 7. sqq.

* Vide solutionem §. 27.

** Confer eandem l. c.

*** Ita enim de illis, qui præsentiam corporis Christi in Eucharistiâ reales credunt, ibi pronunciat Vir doctissimus: *Jungunt voces, non ideas. Atqui credere, propriè loquendo, non est voces sed ideas jungere.*

definitio cum id haecenus non ponat, quod est *contradictorium**, sed quod vel ex meris terminis nihil significantibus compositum est, quales praesentiam realem Eucharisticam involvere nec ipsemet Vir doctissimus asseruerit, vel quod in genere comprehendi nequit aut *actu non comprehenditur*, facile patet, nos alium inde sensum extrahere haud potuisse quam hunc, propositionem istam: *in sacra caena adesse verum Christi corpus*, eapropter credi non posse, *quia heic jungamus voces, non ideas, vel quia hic eloquamur, quae non comprehendamus.*

§. IV.

Non itaque necessarium erat, ut ad infirmendam Viri doctissimi thesin ostenderemus, praesentiam Corporis Christi Eucharisticam nulla involvere contradictoria vere talia.** De eo enim nec nobis quaestio erat, cum placita Viri Cl. refutarem, nec Viro Cl. cum istam thesin poneret, utpote iis saltem oppositam, qui *voces, non ideas jungunt*. At tales non sunt, qui contradictoria credunt, cum *vocibus*, quas proferunt, *ideas*, quas actu habent, *designent****. Ita, si quis existeret, qui *circulam quadratum* assereret, utraque voce non *blityri* aliquod, qui ter-

A 3

minus

* Contradictorium enim id est, ubi *idea* non solum *non junguntur*, id quod & in incomprehensibili fit, sed & *se mutuo tollunt*. Quod sane posterius in Thesi XXXI. quam refutavimus, haud addit Vir clarissimus, qui tamen curate alias verbisque clarissimas ideas fundentibus sua enunciat. Caeterum discrimen repugnantium, disparatorum, oppositorum, contrariorum, relative oppositorum, privativorum & contradictoriorum evolvere, id quod ad doctrinam *de postpradicamentis* pertinet, tyronibus Logicae ambo, uti par est, relinquimus.

** Requirit Vir doctissimus in solutione §. 28.

*** Scilicet si vel centum voces, sub quibus nullae latent ideae, jungeres & millena *blityri* toti demque *abrasadabra* & *phlattotbrattophlattotbra* milleque *scindapforum* sive sonorum sensu vacuorum myriadas in unam massam conjiceres, nullum tamen inde *contradictorium* emergere posset. Nihil enim a nihilo tolli nescit, cum nihil ponat.

minus utpote non significativus nullam ideam, ne quidem generalissimam fundit, sed ideas *circuli & quadrati* designaret, quas tamen utpote sibi invicem contrarias inepto ausu in unam conflare conaretur. Ast patiamur, Virum Cl. verborum suorum esse interpretem, cujus profectò thesin nunquam adgressi fuisset, si ita fuisset concepta: *Falluntur, qui se credunt ejusmodi ἀσύστατα credere. Conantur ideas jungere, quæ se mutuo evertunt, vel propositiones statuunt, quarum una alteram tollit.* At scripserat olim: *Fungunt voces, non ideas.* Quas duas theses utique unum idemque haud dicere, quivis videt.

§. V.

Hæc cum ita sint, rationes, quas in dissertatione de consecratione veterum Eucharisticâ posuimus, firmo adhuc stare talo omninò arbitramur. Diximus primò, *multa esse naturâ nota, quæ vera esse sciamus & combinare tamen non possimus, ita ut ἀσύστατα nobis esse videantur.* Addidimus exemplum de origine mali, ubi affirmavimus, neminem hæcenus sapientiam, sanctitatem, bonitatem & providentiam DEI cum permissione lapsus ita combinare potuisse, ut omne omnino solutum fuerit dubium. Scilicet, quæ incomprehensibilia sunt aut actu à nobis haud comprehenduntur, vel ea sunt, quorum ne quidem ideas habemus, vel quorum ideas habemus quidem sed jungere non possumus. A posteriori ordine initium faciunt objectiones nostræ, allato in rem nostram de origine mali argumento, ubi præcipua hæc oritur quæstio: *Quomodo DEUS, Sanctissimus ille atque Optimus, præviso hominis, si liberum ipsum esset creaturus, lapsu certissimo, hunc permittere potuerit, cum, salvâ etiam, quam ipsi dederat, libertate, quo minus caderet, impedire potuisset, æternaque ipsius sanctitas bonitasque præcipuo quodam jure suo id abs DEO requisivisse sit censenda?* Hic multa egregia responderi posse & responsa quoque à Viris doctissimis esse lubentes fatemur, ita tamen comparata, ut nodum penitus haud solvant existimandumque sit, genuinas datam quæstionem solvendi rationes modumque, quo hæc ideæ jungi possint, hæcenus

nus

nus nos latere. * Nec Clar. TURRETTINUM hinc habemus omninò adversantem, cum hæc ad contradictoria defendenda haudquaquam protulerimus, ** etsi, quod exemplum datum attinet, tantisper à nobis Vir celeberrimus dissentire videatur, qui cæteroquin expressè haud negat, multa dari, quæ vera esse sciamus & combinare tamen haud possimus, sive *quorum*, ut iste quidem explicat, † *connexionem haud clarè percipiamus.* ††

§. VI.

Quod secundò attulimus, *in rebus naturâ novis jungendas sæpiùs voces esse, ubi ideae jungi non possunt & vel nullæ planè vel imperfectæ saltem dantur*, suo calculo haud penitus adprobat Vir Clariss qui existimat, *ubi nullæ sint ideae & voces tamen jungantur, sonos jungi sensu vacuos, quod psittacis quàm hominibus dignius foret.* †† Ast, quod pace ipsius dixerimus, latius hæc procedunt, quàm par erat, aut saltem, terminis nondum probè evolutis, securè nimis pronunciantur. Ita de substantiâ, spiritu, corpore &c. in abstra-

cto

* Eandem posuere ante nos sententiam post Pet. Bælium Viri celeberrimi, Leibnitius in discours de la conformité de la foi avec la raison pag. 44. 45. 48. 49. & Buddeus in Elem. Philos. theoret. p. 370.

** Neque enim id statim inter contradictoria referendum, ubi ideas jungere non datum nobis est, sed id demùm contradictorium est, ubi clarissimè videmus, quòd ideae datæ se mutuò tollant. Id quod semper repetendum est, ne inadæquatam contradictorii ideam animo concipiamus.

† in solut. §. 29.

†† Etenim, qui connexionem idearum haud clarè percipit, affirmare hæcenus sine formidine oppositi haud potest, num junctæ sint, de quibus quæstio est, ideae nec ne. Quod ipsum tamen non impedit, quò minus credat, si modò supposuerit, ideas hæc se mutuò haud tollere, sed *jungi posse*, etsi qui id fieri possit, ipse nondum videat. Nec, quæ olim in diss. de consecr. vet. Euchar. pag. 468. 469. posuimus, ideas incomprehensibilibus *jungi non posse*, his contraria sunt, cum id saltem tunc dicere voluerimus, ideas istas à nobis jungi non posse, etsi *quoad se* nihil impediatur, quò minus jungi possint. Id quod capropter ponimus, ne in sinistram partem quis hæc nostra vertat.

Et o consideratis *nullam* planè *ideam* nos habere largiuntur Philosophorum doctissimi,* à quibus nec ipsemet Vir Cl. recesserit, nisi *idea* nomine hic velit designare *conceptum illum abstractivum* & generalissimum, quo rei quidem affectiones effectusque, **AST IPSAM REM** sive ejus **ESSENTIAM HAUD NOVIMUS**. Nec tamen dici potest, eos, qui his de rebus disserunt, *psittacorum instar sonos sensu vacuos dare*, cùm sufficiat, notionem istarum, prout in concreto sunt, animo efformasse & nôsse, **ESSE ALIQUID**, quod has vel illas qualitates habeat & cuihæ vel illæ operationes competant, etsi, **QUID** illud sit, penitus ignoremus. ** **Quid** quod rerum datur cognitio, quæ nullo planè **idearum**

* Lock. de intell. hum. Lib. 2. Cap. 23. §. 2. 16. 30. 31. Clericus Logicæ P. I. C. 3. §. 5. sqq. Buddeus in elem. philos. instrum. p. 105. Cæterum quòd *mysteria fidei* attinet, *nullas* planè eorum *ideas* nos habere dudùm dixit Malebranchius de inquirendâ veritate L. I. C. 3. §. 2. etsi in illustrationibus id resorbeat, ut fieri aliquando solet.

** Patet hinc, ante omnia evolendum esse *idea* terminum, cùm, qui id facere neglexerit, in logomachias labi necessum habeat. Sumitur autem *idea* à variis variè, non solum pro omnibus iis imaginibus menti nostræ impressis, quæ à sensibus aut perceptionibus ortum trahunt & pro conceptibus illis puris, quos ratio nobis nullo quoq; sensationum vel perceptionum interventu suggerit aut format, sed etiam pro perceptionibus & sensationibus ipsis sive spiritualibus sive corporeis, imò & pro cogitatione generalissimâ, quâ *existentiam* quidem rei sive quod sit, non verò *essentiam* sive *quid* sit novimus, ejusque conceptum potius negativum quàm positivum dare apti sumus, ut distinctiones idearum in adæquatas & inadæquatas, explicabiles & inexplicabiles, puras & impuras, simplices & compositas, claras & confusas, proprias & analogicas, quas evolvere omnes hic instituti nostri non est, taceamus. Quodsi itaque his omnibus *idea* nomen dare illique solum *blityri* aut *nihil* opponere quis voluerit, suo quidem jure id faciet, licet nos eam primo saltem significatu accipiamus aliterque nunquàm acceperimus.

idearum interventu fit? *Intuitivam* puto, † ubi res *immediatè* cognoscuntur, qualis & DEO adscribenda est & futuro ævo nobis dabitur, †† cognitione ideali & mediata, quæ hujus vitæ est, infinitis modis perfectior & verior, cum hæc magnam partem nonnisi *analogica & mutuatitia* sit multa que adeò ex falso trahat.

§. VII.

Cæterum, ubi subjunximus, nos, cum *incomprehensibilia* credamus, *voces, non ideas jungere*, nullo modo id dicere voluimus, quod Vir doctissimus existimat, * *contradictoria & incomprehensibilia* eodem passu ambulare, cum, quæ inter hæc duo interfit, differentia, nos haudququam lateat. ** Neque etiam, uti arbitramur, admodum peccavimus, ubi diximus, *nullam nos æternitatis habere ideam*, cum ipse V. D. fateatur, *conceptum infiniti nos superare*, id quod datâ quoque definitione abundè confirmat, ubi ait, *æternitatem esse durationem principio & sine carentem*. *** Quid enim

B

enim

† De hac elegantem dedit subtilemque meditationem Vir Clar. Christ. Aug. Heumannus in Actis Erud. Lips. 1714. p. 108. sqq.

†† Ubi non solum DEum videbimus, *uti est, similes* in hoc ipsi futuri 1. Joh. III, 2. sed & *cognoscemus*, uti nosmet ipsi à DEO *cogniti sumus*. 1. Cor. XIII. 12. At DEus *intuitivè, immediatè, comprehensivè*, nullâ interveniente ne: purâ nec impurâ ideâ, creaturas suas novit. Ex quo & id patet, eos, qui *ideas* DEO adscribunt, omninò peccare, si propriè id intelligi velint, cum saltem juxta nostrum concipiendi modum illæ DEO, simplicissimo enti, competant, & ἀνθρωπολογικῶς quidem ipsi attribuantur, at θεολογικῶς explicari ament.

* in solutione §. 32.

** Hæc ut rectè concipiantur, ostendenda paucis est differentia inter *comprehensibilia, incomprehensibilia & contradictoria*. *Comprehensibilia* sunt, ubi *ideæ clarè satis junguntur*. *Incomprehensibilia* sunt, ubi non junguntur quidem *ideæ* sed *jungi posse vel debere supponuntur*. *Contradictoria* verò sunt, ubi *clarissimè perspicitur, quòd ideæ se mutuò tollant*. Cæterum hoc ipso nos non negamus, in *incomprehensibili* semper esse *contradictorii formidinem*, quæ tamen vel *revelatione* vel *aliâ quâdam autoritate irrefragabili*, vel *experientiâ*, vel etiam *ratiocinio* tollitur.

*** Ibid. §. 33.

enim quæso æternitati contrarium magis quàm duratio, quæ sine temporis successione comprehendi nequit eamque non potest non inferre, & quid est, quod *æternitatis essentiam* jugulet magis conceptu temporis, quem ad ipsam describendam adhibeamus necesse est? † Ast, si id saltem velit Vir Clarissimus, ideam nos æternitatis habere *analogicam* aut potius *equivocam*, prout e.g. DEUM sub specie hominis comprehendimus ipsique manus, pedes, oculos, aures &c. attribuimus, ejusdemque omnipræsentiam per extensionem omnia, quæ cogitari possunt, spatia replentem concipimus, utique nos haud multum habebit dissentientes, qui cæteroqui voce *idea* veriorum objecti conceptum designamus. Scilicet ita quoque colorum ideam sibi cæcus formaverit, ex analogiâ ab aliis sensibus petitâ erutam, ubi sæpius de coloribus differentes audierit fœcundâque aliâs imaginatione polleat. Uno verbo: alia est *idea existentia*, alia *essentia*, multasque res novimus existere, queis hæ vel illæ qualitates, hæ vel illæ operationes competant & quarum adeò certissimam *existentia* ideam habemus, etsi *quid* eæ sint, nos omninò lateat nullamque adeò *essentia* illarum ideam animo concipiamus. Quo supposito, facilè quoque patet, quid ad definitionem *animæ nostræ*, quam V. D. suppeditavit, *regerendum sit. Quùm enim eam *rem cogitantem* esse dixit & *propriarum operationum sibi consciam*, non definivit, quænam animæ sit *essentia*, ** sed quænam sint ipsius facultates, adeoque nec per-

† Amplissimos Patres metaphysicos hîc non moramur, qui *durationem* affectionem entis *unitam* statuunt & per *essentia permanentiam* definiunt, cum vel eapropter eandem *secundariam* entis *affectionem* esse iidem ajant, quia respectum ad tempus dicat. Quod ipsum si ita est, quî & æternitas *duratio* propriè dici queat, haud facilè nos perspiciamus, maximè cum nihil *durare* vel *permanere* nisi successione temporis cogitando concipiamus. Ast, ut Senecæ verbo utamur, *transcurramus solettissimas nugas*.

* in solut, §. 34.

** Egregiè acutissimus Clericus: *In mente nostrâ videmus varias cogitationes,*

perfectam ejus nec imperfectam ideam dedit, † ut taceamus, tam generalem hanc descriptionem esse, ut & de Angelis prædicari possit, imò in ipsum quoque DEUM cadat. ††

§. VIII.

De Trinitate, cujus ideam, dissentiente Clar. TURRETINO, fugere nos dixeramus, etsi eam credere nos oporteat, distinctius paulo pronuntiandum est. Scilicet, cum ista affirmavimus, dicere utique nolimus, nos nullum planè de Trinitate

B 2

tate

sed quidnam sit illud subjectum, cui insunt cogitationes, ignoramus. In Logicâ P. I. C. 3. §. 7. Addi possunt Observ. sel. Hal. in Additam. Obs. 14. ubi probandum sumitur, nescire animalia rationalia, quid sit anima rationalis, alleganturque bene multa Philosophorum tum antiquiorum tum recentiorum hanc in sententiam euntium effata.

† Idem sanè hoc est ac si ideam corporis humani à te expetenti hanc ipsius descriptionem dederis: *Corpus humanum est res extensa & facultate sensitivâ prædita.* Quibus verbis ideam quidem dari aliquam concedimus, ast ideam corporis humani sive perfectam sive imperfectam dari pernegamus, imò ad ipsum quoque Viri doctissimi assensum hîc caudacter provocamus. Jam vero ovum ovo similis haud est, quàm idea illa animæ humanæ, quam V. C. posuit, & hæc, quam de corpore humano heic efformatam damus. Scilicet is, qui animæ humanæ ideam sive perfectam sive imperfectam dare in animum suum induxerit, definitionem ejus influere jubeat necesse est differentiam specificam, quæ spiritum inter, qui corpus nostrum inhabitat, Angelumque existit. Quod si facere non possit, dedecori quæso sibi hoc non esse existimet, si fateatur, se animæ suæ nullam ideam habere, cum docta hæc ignorantia sit, modestiæ literariæ omnis mater.

†† Clarum quippe est, quòd V. C. quum ideam animæ nostræ dare hîc conatur, id dare supersedeat, quod præcipuum est, *differentiam* nempe, quam Philosophi appellant, *specificam*, quam & infra §. 10. ubi, quid proprie loquendo sit credere, definire tentat, ipsum negligere observabimus. Id quod cum sine crimine, si ita loqui fas sit, Philosophus perpetrare nequeat, non fieri aliter potest, quàm ut in *foveam logicam* hîc incidat Vir doctissimus, eodem jure, si differentiam specificam in definitionibus omittere liceat, animam rationalem per *ens rationale aut creaturam immaterialem* definiturus.

Quia

tate conceptum ne quidem generalissimum habere. * Quis enim negaverit, luculenter nos scire, quid *unum* sit, quid *trinum*, quid *persona*, prout hic terminus communiter sumitur, quid *paternitas*, quid *filiatio*, quid *DEUS*, & quæ alia sunt, in unum hîc concurrentia? Hæc tamen omnia si in unam *ideam* eamque compositam sint conjicienda, addendaque generatio ista, spiratio & processio, quas Scriptores sacri memorant, si Trinitas porrò personarum, ea scilicet, quæ non in nudis denominationibus relationibusque externis vel attributis quibusdam aut operationibus ad extra consistit, cum essentiæ unitate sit combinanda ostendendumque, quî persona una eandem, quam habet retinetq;, numero essentiam alteri verè communicare valeat & quî tres personæ, quæ realiter idem cum essentiâ divinâ sunt, tamen inter se realiter differre possint, uno verbo, quomodo una eademque numerica essentia tribus hypostasibus vestiri queat, fatendum est, aquam hîc nostræ rationi hæerere, † nec patere hætenùs, quâ ratione hæ ideæ jungi atque in unam conflari possint. Nec sanè prius Trinitatem mente concipere nôsseque apti erimus, quàm ubi visio *intuitiva & immediata*, quæ ad futurum ævum

Quin nec differentiam saltem specificam tacet hîc V. C. sed & genus proximum, ita ut hæc, quam nobis vendit, idea, quamcunque in partem eam verteris, volverisve aut revolveris, mirum in modum claudicat.

* Id quod idem esset ac *blityri* quoddam vel sonum aut terminum dare, cui nulla potestas inest.

† Quin eousque progreditur celeberr. Clericus, ut ajat: *Unam essentiam agnoscimus, in quâ sint tria distincta, verùm eo distinctionis genere, QUOD NOBIS IGNOTUM EST.* in Prolegom. Hist. Eccl. p. 98. Quod sanè qui ponit, affirmare quoque necessum habet, se nullam Trinitatis ideam habere. Nec tamen dici potest, eum, qui hæc dicat, nescire quid dicat, cum de Trinitate loquatur, aut nescire, quid credat, cum Trinitatem credat, uti Clar. TURRETTINUS putat §. 35. cum id saltem sciat credatque, in DEO simplicissimè uno *trinum* quid esse, his & illis terminis in sacris literis enuntiatum, quod, *QUID & QUALE* sit, hætenus penitus nesciat & pro imperfecto eo, quo nunc laboramus, intellectus lumine haud assequatur.

ærum pertinet, tenebras intellectûs nostri dissipaverit, qui cùm mysteria divina saltem *per speculum in anigmate* † nunc videat, *equivocas* potius aut *analogicas* rerum *ideas* quàm *veras* propriasque capit. Quid quod & hîc valet, quam sæpius repetimus, distinctio inter evidentiam objecti revelati & evidentiam revelationis, quarum priore licet deficiente posterior ad fidem gignendam sufficit. Denique hîc distinguendum quoque est inter fidem generalem & specialem. Juxta posteriorem ea credimus, quorum ideam sive perfectam sive imperfectam sive explicabilem sive minus explicabilem habemus. Juxta priorem etiam ea credamus necesse est, quorum hætenus *nullam* planè *ideam* habemus. Ita generaliter omnia credimus vera esse, quæ in libris sanctioribus exstant, etsi multa in iis inveniantur, quæ non intelligimus, nemoque sit inter Christianos, qui non lubens affirmaverit, sub iis etiam scripturarum divinarum verbis, quorum sensus nondum evolutus est, veritates latere, licet nobis incognitas. Nec tamen ex his omnibus sequitur, nos pfitatorum hîc officio saltem fungi, cùm ad credendum idea quoque æquivoca sufficere possit, fidesque ista generalis ne hæc quidem opus habeat.

§. IX.

Quod post ista addidimus, *non solam ideam sed & sensum fundamentum fidei esse posse*, utique & minus accuratum esset nihilque contra Virum Cl. faceret, si *sensus externos* hîc intellexissemus, quorum ope utique *idea*, quæ *impura* vocantur, progignuntur ††. At *sensum internum spiritualemque* †††, quo anima nostra, nullâ mediante specie à sensibus externis vel aliâ perceptione proveniente, gaudet, designavimus, cùm ista scriberemus. Sic

B 3

quo.

† Id quod affirmat S. Paulus, divinitûs *licet inspiratus* 1. Cor. XIII. 12.

†† Hoc quippe est, quod nobis regeit Vir Cl. in solut. §. 36.

††† Hinc clarum est, nos *sensum hunc internum* sive perceptionem mentis immediatam ab *ideâ* distinguere, quippe quæ immediatam objecti in mente præsentiam haud fert.

quomodo in corpus nostrum eadem agere possit, nemo hæcenus Philosophorum explicare potuit, ita ut sine oppositi formidine dicere queamus, nos hujus *actionis* ideam non habere, etsi de re ipsâ per *sensum internum* simus evidentissimè persuasi. Nec fanè hic eapropter negandus est, quod comprehendere hanc actionem non valeamus, nec delabendum ad systemata, quæ Viri docti heic conficiunt, innumeris difficultatibus & ipsa obnoxia, queis implicandis utique supersedere poterant, si recogitassent, *actionem hanc conceptui* non subjacere sed *sensui*.† Cæterùm vel maximè hæc in Theologicis notanda sunt, ubi operationes illæ divinæ, quibus anima nostra tangitur, lumen istud divinum, quo intellectus noster circumfunditur, gratiaque illa interna, quæ voluntatem afficit, ideâ datâ definiri nequeunt, utpote haud nisi *sensu illo interno* †† cognoscenda. Quinimò & ipsa illa *intuitiva* visio, quam futurum nobis dabit seculum, immediata erit DEI in animâ perceptio, semper nobis præsentissima

† Patet ex his, operam eos ludere, qui in ideis formandis se torquent, ubi *nulla* dantur; id quod est, *aciem* mentis tamdiu intendere, donec obtundatur, quemadmodum is, qui irretortis oculis in solem inspiceret penitus eum clariusque visurus, pœnas inæpti instituti certò daturus aciemque oculorum hebetem redditurus esset. Vocavit id Regina Christiana acutè satis *se crever les yeux pour voir clair*, memorante eleganter Leibnitio in disc. de la conformité de la foi avec la raison §. 38. p. 49.

†† Non tam vana sunt, quæ de *sensu hoc interno* deque *intellectu passivo*, qualem & ipse Cartesius Epist. T. 3. Epist. 114. & Formula Concordiæ p. 656. 658. 681. statuit, cum Theologis Mysticis protulit hæcenus Vir Clarissimus, PETRUS POIRETUS, exosum licet apud modernos Philosophos nomen & in Fanaticorum catalogum hanc ob rem relatum in Cogitat. ration. Disc. prælim. S. 4. §. 30. sqq. & L. 2. C. 4. p. 175. in notâ, itemque de erudit. fol. P. 1. §. 4. Sed nec dissimulandum id est, varias hîc cautelas adhibendas esse, ne *falsum sensum* pro *vero* adhibeamus, id quod præter laudatum Poiretum (cujus vera methodus inveniendi verum P. 2. n. 5. Qu. 6. hîc conferenda est) observavit quoque Leibnitius, qui, quod mireris, *sensum hunc internum* haud penitus rejicit in literis ad Pellissonium datis.

tissima cognitionemque fundens non apprehensivam sed comprehensivam, omnibus modis perfectissimam, etsi omnium omninò idearum expertem & in *nudo sensu interno* consistentem. Sed hæc ipsa quoque difficilis sunt indaginis, tunc demùm latiùs comprehendenda, cùm à nobis olim *sentientur*.

§. X.

Cùm Vir doctissimus quoque affirmasset, *credere propriè loquendo esse ideas jungere*, nosque reposuissemus, *ideas jungere & credere unum idemque haud esse*, cùm *ideas quoque jungant, qui fingunt*, mentem nos suam haud satis percepisse idem putat, cùm non dixerit, *ut aliquid credatur, nihil amplius quam junctionem idearum requiri*. Oportere enim, *ut aliquid credatur, non saltem ideas jungi sed & alteram de altera vel affirmari vel negari, idque non fictè sed serio*. * Quæ omnia utique haud omninò malè hætenus dicerentur, nisi Vir Clariss. posuisset, *credere propriè loquendo esse ideas jungere*. Qui enim designare vult, quid aliquid *propriè loquendo* sit, ita illud definit, ut saltem ab eo, quod immediatè ipsi est contrarium, luculenter distingui possit. Id quod cùm Vir Clariss. hîc neglexerit assensum per id tantisper definiens, per quod & fictio definirî amat eodemque jure potest, restat, ut dicamus, ipsum, dum dixit, *credere esse ideas jungere*, non definivisse, *quid credere propriè loquendo sit*, etsi mentem suam plenius nunc rectiusque, uti fieri solet, explicet. † Ast nec id quoque penitus hîc negligendum

* Vide solut. §. 37. Notamus hîc *ὡς ἐν παρόδῳ*, doctissimum Virum vocem *credere* in suâ solutione haudquaquam sumere sensu famosiore, quatenus significat *propositioni alicui assentiri ob auctoritatem dicentis*, sed sensu quodam alio, quatenus significat *propositioni alicui assentiri ob evidentiam objecti*. Vide l'art de penser P. 4. C. 12. ubi allegatur illud Augustini: *Quod scimus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati*.

† Facile autem hoc alioqui perspicimus, V. C. cùm dixit, *credere propriè loquendo esse ideas jungere*, id saltem dicere voluisse, ad id, ut *propriè loquendo aliquid credatur*, etiam requiri, ut *ideæ jungantur*. Præterquam autem, quod & hoc non semper sit necessarium, cùm in incomprehensibili-

dum est, Virum Clariss. dum, quid sit *credere*, luculentius describit, duas propositiones ponere, quas diversas à se esse, si juxta verba ipsius, non mentem, quam utique meliorem esse haud dubitamus, res dijudicanda sit, supponat, cum tamen eadem sint, diversis licet verbis propositæ. Verba ipsius sunt: *Ergo, ut aliquid credatur, oportet quidem ideas jungi, SED Et oportet PRÆTEREA alteram de alterâ affirmari, vel si propositio sit negans, alteram de alterâ negari.* Quæ duæ propositiones utique coincidunt, cum *junctio idearum vel disjunctio* fieri nisi per *affirmationem vel negationem* non possit. Nec dixerit quis, nimiam hæc omnia morositatem sapere, opusque haud videri, ut ad vivum ista resercentur, cum id saltem ostendendum sit, non adeò clarè ubique Virum clarissimum sua effari, ut omnibus omninò tenebris hîc exulantibus nulla cespitandi ansa lectori detur, qui dicta, prout jacent, non prout explicari plenius supplerique aut contrahi possunt, subinde sumere solet.

§. XI.

Quod porrò ait V. D. *se nunquam statuisse, quod evidens rei revelatæ idea ad credendum requiratur*,* id neque ipsi unquam imputavimus, contrariamque thesin eapropter saltem posuimus, quoniam, qui Viri doctissimi scripta legunt, hanc in sententiam, valdè utique periculosam, ipso licet invito, descendere facile possent. Videtur enim, cum contra præsentiam realem corporis Christi in Eucharistiâ pugnat, ad veritatem ejus demonstrandam non confusas saltem sed & evidentes ideas requirere. †

§. XII.

bus & mysteriis ad credendum luctuatis, si saltem supponatur, ideas jungi posse statimque à nobis junctum iri, si clariores eæ nobis contingerent, patet, V. C. mentem suam nec plenè heic nec clarè satis expressisse, cui tamen claræ curatæquæ expressionis gloriam haud facile quis dubiam fecerit.

* vide solut. §. 38.

† Cæterùm si ideam præsentia realis Eucharisticae inevidentem & obscuram saltem, ubi nexus idearum, quæ eandem componunt, simpliciorum clarè haud perspiciaur, aut ideam saltem quandam generalissimam & analogicam, qua-

§. XII.

Quod denique sub finem ponit Vir Cl. Thesin à se positam religionis Christianæ fundamenta haud subvertere, id verissimum utique esse judicamus, si de *contradictoriis*, non de *incomprehensibilibus* ea explicetur, quam & Viri Cl. mentem esse *solutio* ipsius indicat. Ast nec nobis velimus hoc imputari, quod nostras per hypotheses religio Christiana pessum detur, cum nullibi affirmaverimus, contradictoria vel credi posse vel tanquam credenda in diviniis libris proponi, vel etiam *fidem Christianam in eo sitam esse, ut jungamus voces, ubi nulla idea menti nostra obversantur.** Etenim postrema hæc generali istâ sub ratione nunquam posuimus, utpote qui existimamus, nos rerum, quas credendas religio Christiana præscribit, ideas maximâ ex parte satis claras habere, etsi & *alia multa sint nobis credenda, quorum ideas non habeamus, multo minus jungere possimus.* Quod ipsum cum neget Vir doctissimus, luculenter utique nos refutatos esse existimabimus, si eam nobis *Trinitatis* ** ideam (per exempla enim hîc

C eundum

lem supra descriptam dedimus, desideraverit Vir Clarissimus, voti tui facile fieri poterit compos, utpote qui largissimam ejusmodi idearum messem in compendiis nostris systematibusque invenerit, ut taceamus, in gloria hanc rem operæ fore, si isto in stadio nos desudaverimus, ubi multo labore nihil tandem egregii suisque absoluti numeris dare nobis contingat.

* Vide solut. §. 39. Quinimò, cum ipsam quoque præsentiam realem, de quâ hîc vel maximè agimus, cogitat V. C. ideæ ipsius menti, vel ipsomet fatente, obversantur, quemadmodum is, qui contradictoria quoque cogitat, ideas itidem animo suo obversantes habeat necesse est. Ex quibus omnibus adparet, quantus nobis in voce *ideæ* lusus sit, totum fere certamen nostrum in meras logomachias versurus.

** Etenim dissimulant hîc Viri Clarissimi, manticæ quod in tergo est, qui, ubi contra Socinianos in aciem procedunt, rationem deprimunt eamque *servum pecus* esse volunt, ubi verò contra eos, qui præsentiam realem Eucharisticam credunt, calamum stringunt, plenis eam velis rem agere atque utramque complere paginam jubent. Id quod fieri, uti nos quidem arbitramur, non oportebat.

eundum est) formare sustinuerit, quæ etsi imperfecta hæcenus, ita tamen sit comparata, ut, quæ huic mysterio opponi solent, contradictoria *clarè* diluat *evidentiamque* saltem *credibilitatis*, quæ omninò ad ideam etiam imperfectissimam requiritur, adhibitis tamen notionibus nonnisi è Sacro Codice manantibus iisque omnibus, & terminis, quibus sua potestas sit, secum ferat. Hoc si fecerit Vir Clarissimus, nos quoque ad præsentia realis Eucharisticæ ideam efformandam, (id quod à nobis desiderare videtur, †) illicò provolabimus. †† Ast verendum est, ne uterque huic negotio impares simus adgrediamurque opus non solum parvo isto, quo in his terris gaudemus, lumine longè

† Vide solut. § 41.

†† Quid si quis ajat, (quam tamen temeritatem nos nostram haud facimus,) se mathematicâ ratione, *unum idemque corpus in plurimis locis eodem tempore versari posse*, demonstraturum? Etenim eâdem ratione, quâ de Angelis post Scotum aliosque demonstrâsse sibi visusest P. Millet Dechalles in Elementis d' Euclide L. 1. Prop. 35. quòd ad quodcunque spatium ii se extendere possint, de corpore Christi, quod spirituales jam qualitates utpote gloriosum & πνευμαλικόν ex parte induisse censendum est, idem quis forsitan cogitaverit. Sed ne hoc quidem necessarium est, ut mathematicis demonstrationibus hîc indulgeamus, cum, qui id faceret, contra se ipsum pugnaret, *mysterium* id esse affirmans, quod comprehendere possit. Nec tamen & id sequitur, si præsentia huic reali Eucharisticæ rationes opponi queant nobis insolubiles, ut ea falsa sit, cum, si Philosophis quibusdam modernis fides, & clarissimis demonstrationibus mathematicis ejusmodi argumenta opponi queant, quæ Mathematicorum vix quisquam solverit, malèque cum laicis nostris res constituta esset, si ad objectiones ipsis insolubiles credendum ipsis foret, se falli, ubi veritates credant, queis ejusmodi argumenta opponantur, ut taceamus, contra modestiæ leges Theologum peccaturum, si eam de se præsumptionem sibi formaverit, se omnes mysteriorum nodos omnesque, quæ contra veritates excogitari possint, objectiones solvere posse, quæ intolerabilis foret superbia absurditatis notam quandam secum ferens, maxime, quod mysteria atinet, cum hæc solutis, queis implicantur, nodis dissipatisque, queis involvuntur, tenebris mysteria esse desinant fiantque hæc ratione comprehensibilia. Adde diss. 2. de præjud. Theol. § 4. p. 120.

gè superius, * sed quod & vel eapropter *crimen* quoddam le- cum vehat, quod, cum non placuerit DEO, majore quâdam luce in hoc seculo nos circumfundere, fallere hos limites vel migrare inepto ausu in animum heic nostrum inducamus.

Ε Π Ι Μ Ε Τ Ρ Ο Ν.

Qui præsentiam corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ. realem *bonâ fide* credidit † Philosophus insignis & communi eruditorum calculo ævo suo maximus, ab eo saltem crimine, ut ita loquamur, hætenùs absolvendus, quod *psittacorum instar voces junxerit, ubi nullæ animo ideæ obversabantur, †† sonosque sensu vacuos campanarum more copulaverit, nullâ de re cogitans, ††† neque eorum referendus in censum, qui ex merâ credulitate pravâque vel animi vel phantasiæ dispositione †††† hanc sibi sententiam & contradictoria credendi pruritus obrepere patiuntur, GODEFRIDUS GUILIELMUS LEIBNITIUS, Fautor noster, dum viveret, præcipuus, ubi eas præsentia realis Eucharisticæ ideas proscribit, quæ Scholasticorum è cerebro prodire, haud obscuras absurditatis suæ notas secum ferentes, ubi & celeberrimi NEWTONI acutissimi-*

Ccc 2

tissimi-

* Scilicet ad hæc capienda aut novâ revelatione nobis opus est aut novis facultatibus, aut hæc saltem, quas habemus, mirum in modum elevandæ novisque speciebus, quas vocant, intelligibilibus donandæ sunt, cum ex, quibus nunc polemamus, ad tantas res animo complectendas haud sufficient, multæque res dentur, quarum ideæ nobis vel concreatæ haud sunt vel per lapsum amissæ, facultatibus quoque per peccatum istud primum visû primigeniâ acieque, qua olim præditæ erant, privatis atque ad ignobiliorem gradum detruis.

† Vide *Lettres de M. de Leibniz & de M. Pellisson, additions p. 9. sqq. & discours de la conformité de la foi avec la raison §. 18. sqq. p. 24. sqq. Hinc & facete exclamat Pellissonius l. c. p. 29. O factum benè, que vous soyés de la confession d' Augsbourg!*

†† Vide *solut. §. 31. p. 13.*

††† Vide *eandem §. 38. 39. p. 15. 16.*

†††† *l. c. §. 19. p. 8.*

tissimique LOCKII operationem in distans negat falsamque esse
 asserit, ubi porrò *diffusionem* quandam corporis Christi *ubiquitatem*
 inferentem in hoc argumento à Theologis Augustanæ Confessio-
 nis haud allegari arbitratur, queis & nudæ ferè *concomitantie* panis
 & corporis Christi in Eucharistiæ sumtione, non *unionis* assertio-
 nem adscribit, licet, quod posterius hoc attinet, in actis erudi-
 torum Lipsiensibus * diarioque litterario Hagiensi ** istam
concomitantiam postea in *conjunctionem* quandam bonâ pace
 nostrâ, quam literis ad nos datis Vir summus expetiverat, in usu
 se exerentem verterit, ubi denique vel ex hoc solo patere existi-
 mat, quod dici cum ratione nondum possit, præsentiam corpo-
 ris Christi in pluribus locis realem contradictionem involvere, quia
 nondum hucusque explicatum à quoquam sit, in quo *essentia cor-*
poris consistat. Haud contemnendo quidem instituto GISBER-
 TUM VOETIUM Reformati hîc opponit, Theologum inter
 suos summum, qui *existentiam unius ejusdemque corporis in pluribus lo-*
cis non contradictoriam esse confidenter asseruerit, † nodum ta-
 men, quo hoc argumentum implicatur, haudquaquam solvit,
 nimiumque, maximè, quod rationem ex essentiâ corporis nobis
 incognitâ petitam concernit, affirmare videtur, cùm ex hoc Vi-
 ri summi ratiocinio prono nexu id, quod tamen nunquam in ani-
 mum suum inducturum fuisse eundem credimus, sequatur, nec
 pronunciari hætenùs, donec, quid *essentia corporis* sit, definiatur,
 posse,

* 1715. p. 376.

** Journal littéraire T. 6. P. 2. p. 510. 511.

† in Problem. de Deo P. 2. §. 9. alibique. Patris sententiam defendere filii,
 Paulus in Theol. nat. reform. p. 221. sqq. & Daniel in disp. metaphys. que
 exstat sub finem primæ Philos. reform. Pauli Voëtii p. 639. sqq. contradi-
 cente Samuele Maresio, tum alibi, tum maximè in fasciculo Myrrhæ p. 204.
 sqq. Ceterum loca ista allegamus, tum, ut quænam genuina Voëtii sen-
 tentia fuerit, patere evolventibus possit, cùm facile contra Auctoris mentem
 ea explicari queat, tum ut pateat, Leibnitium, qui allegatione istâ super-
 sedit, Voëtio nihil hîc affinxisse.

posse, num contradictionem implicet, quod S. *Antonius de Padua* Romæ & Ulyssipone eodem tempore prædicaverit, * eademque reliquæ omnes veræ & genuinæ pluribus in locis existant & ostendantur, quod posterius Jac. Gretserus è Soc Jesu cum aliis arbitratus est, prius popularis in Ecclesiâ Romanâ traditio fert. Cæterum ad rationis tribunal haudquaquam hîc provocandum esse Theologi nostri asserunt, nisi ubi illa de cœcitate suâ ipsamet iudicium fert & pro eâ, quæ ipsam decet, modestiâ suo se pede metiri gnara se incapacem esse ad res divinas dijudicandas laudabili admodum confessione declarat. Quod ipsum si supposueris, via forsitan sternetur luculentior ad evolvendam quæstionem, in quam

C 3

tan-

* Contradictionem hoc implicat, primò quod ij, qui hoc credunt, quamvis ajant, quod in uno loco naturaliter, in altero per miraculum saltem *Antonius de Padua* existit, necessum tamen habent statuere, quod in utroque loco circumscriptivè existit, cum hominis in suggestu stantis, loquentis, visi auditique aliam animo ideam concipere repugnet, quam quod circumscriptivè in illo loco fuerit versatus, in duobus autem vel pluribus locis circumscriptivè esse manifestè sit contradictorium, imò & Angelus in duobus π definitivis simul esse non possit, secundò, quòd plura heic contradictoria specialia sese involvunt, maximè, si supponamus, quòd diversum textum Romæ, diversum Ulyssipone *Antonius* explicaverit, aut quod iisdem utrobique verbis iisdemque respirationis locutionisque interstitiis usus non fuerit, queis usum eum fuisse certè illi, qui miraculum hoc narrant, haud supponunt, machinam aliâs non nisi mechanicis agentem legibus, non *Antonium de Padua* nobis daturi. Quod si enim hoc est, uti non esse non potest, omninò repugnat, dicere, quod eodem tempore idem uno in loco sermonem stiterit, in altero continuaverit, in uno suspiraverit, in altero exultaverit, in uno clamaverit, in altero submissius locutus fuerit, in uno oculos in cœlum extulerit, in altero in terram dejecerit, uno in loco sederit, in altero steterit, quæ Scholasticorum absurda, quam vocant, *replicatio* est, & quæ alia heic concurrunt, eodem modo repugnantia, uti sorbere & flare simul quemquam repugnat. Cæterum ab exemplo *Antonii de Padua*, quem dicimus duobus in locis versari simul haud potuisse, ad præsentia realis Eucharisticæ repugnantiam arguendam non valet consequentia, quia quoad hanc non asseritur, Corpus Christi in symbolis Eucharisti-

tandem tota hæc lis resolvitur. Hæc est: *num evidentia objecti & rationis cedere debeat evidentie revelationis, aut potius evidentia revelationis locum dare evidentie rationis, vel quod idem est, num ex hac demùm concludendum sit, an, quam jactamus, revelationis evidentia vera sit nec ne?* ubi sanè gradus utriusque evidentie benè distinguendos atque ex iisdem, num hæc vel illa alteri cedere debeat, demùm dispiciendum putamus, * qui cæteroquin id principium, quod

cis circumscriptivè exstare, id quod contradictionem, uti jam diximus, involveret, quia porrò Corpus Christi, quod jam *πνευματικόν* est, non amplius loco sive ab ambientibus corporibus exterius circumscribi à nostris supponitur, utpote quod in nullo loco amplius sed saltem in *πῶ*, ut loquuntur, sive *ubi definitivo* instar ferè spirituum actu naturæ suæ sit, etsi, iisdem nostris rursus statuentibus, loco aliquando circumscribi ab extra *κατ' ὄικον* idem possit, si velit, quæ tamen omnia de corpore Antonii de Padua spiritualibus qualitatibus summisque istis *ιδιώμασι* haud induto prædicari nequeunt, quia denique corpus Christi omnipræsens esse non *actu naturæ humanae*, quod probè notandum, sed *actu personæ* à nostris creditur, quæ distinctio ad multipræsentiam Antonii de Padua (quæ sumus, ut terminis barbaris veniam tantisper lector largiatur, donec ex hoc campo exiverimus) explicandam adhiberi nequit. Ast his omnibus enarrandis, cum in abyssum subtilitatum metaphysicarum nos detrudant & fere absorbeant adeoque à nostro plurimùm abluant ingenio, lubentes meritoque supersedissemus, nisi suspicaremur, fore inter nostrates, qui ea, quæ de Antonio de Padua in chartam jecimus, multipræsentiam ejus actu concionantis inter contradictoria referentes, credituri sint, contra præsentiam realem Eucharisticam legitimè urgeri posse, nullamque hæctenus contradictionem implicare asserturi, quòd Antonius de Padua simul Romæ & Ulyssipone prædicaverit; quam tamen sententiam, salvis melioribus, nos bonâ virorum summorum pace nostram hæctenus non facimus.

- * Non absque ratione hîc notamus, quòd valde difficile aliquando sit, gradus istarum evidentiarum, uti pat est, determinare, dicereque, quænam alteri præponderet. Quin quod utraque evidentia eodem sæpius gradu ambulare nobis videatur? Atque hîc, qui sapit, sibi cavet, ne quid temerè definiat, inque *βιάσθη* Paulinum sese præcipitem dat, veterumq; in *ἐπιπορευθῆναι* pronus labitur. Id quod ubi necessarium factu fuerit, certissimum hoc erit indicium, quòd

+

quod de contradictoriorum impossibilitate judicat, & rationi & revelationi commune esse existimamus. Hinc & quæstio, quâ controvertitur, *num iudicium contradictionis rationi quoque in divinis competat*, suâ sponte cadit, cùm ea &, uti pro facultate ratiocinandi sumitur, & prout principia ista universalia tùm Theologiæ tùm Philosophiæ communia, quæ *metaphysicorum* nomine honoramus, designat, de rebus naturalibus & revelatis proprio quodam jure suo judicet, exclusis tamen hætenus *principiis physicis* communibus, ubi ex fucto naturæ cursu communibusque & notis corporum qualitatibus contra veritates revelatas utique argumentari haud licet, * ipsâ ratione dictitante, posse DEUM cursum legesque naturæ sistere & alias subinde corporibus qualitates infundere, queis antea prædita haud fuerant, docenteque in simul experientiâ, in ipsis etiam rebus physicis rationem sæpius egregiè falli, utpote præjudiciis heic plurimis oneratam curtâque admodum idearum evidentium principiorumque generalium veriorum supellectile

quæstio, quæ controvertitur, fidei fundamentum haud tangat, seponenda hætenus, donec clarior revelatio novæ lux tenebras istas, quibuscum hætenus incassum luctamur, è mente nostrâ migrare jussit.

- * Nec tamen & principia omnia physica heic exclusa penitus volumus, cùm major eorundem pars & ab ipsâ revelatione adoptata novoque adeò veritatis irrefragabilis caractere donata fuerit. Hinc id unum heic monitum volumus, à fucto naturæ cursu ad negandum id, quod per potentiam suam absolutam Deus facere potest atque in miraculis semper facit, procedere nefas esse, cùm Philosophus hîc, si quidem sapiat nec in summam quandam incredulitatem labi pulchrum sibi esse putet, digitum ori imponat nec ultra spheram suam crepidamque, quâ non nisi ad communes naturæ leges suametitur, unquam progrediatur. Rem illustrabimus exemplis. Ita *ferrum non natat, virgo non parit*, positiones physiciæ sunt, hætenus, si juxta naturæ cursum rem dijudices, certissimæ, sed mutationi suæ obnoxia, si miraculum Dei que absoluta intervenerit potentia, quâ factum, ut & *ferrum nataret & virgo pareret*. Id quod de principiis metaphysicis dici nequit, cum Deus facere non possit, *ut idem simul sit & non sit, totum sit majus parte suâ, & quæ alia sunt.*

etile præditam.* Ast hunc quidem in campum, latissimum eundem viisque difficillimis impeditum, exspatiari amplius nobis nunc non licet, qui finem apologiæ nostræ hîc ponere malumus quàm novum tangere argumentum etsi accuratiore investigatione longè dignissimum.

* *Ex quo & id patet, sensum communem hîc cum grano salis allegandum esse. Rudere enim eum subinde falliq; & cum præjudiciis popularibus coincidere, non quidem in metaphysicis principiis sed in physicis, vel solus iste error, qui olim obtinuit communis, de antipodibus docet.*

F I N I S.



Coll. diss. A. 88, mus. 43